

MASTER NEGATIVE
NO. 93-81451-2

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

DISSELIUS, CARL

TITLE:

DE ADMETI ET
ALCESTIDIS...

PLACE:

HALLE

DATE:

1882

Master Negative #

93-81451-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

885
28 v. 3 Disselius, Carl 1857-
De Admeti et Alcestidis fabula commentatio
archaologica
Halle 1882

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIM

Association for Information and Image Management




1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Admetus and Alcestis

no. 2

885
281

DE
ADMETI ET ALCESTIDIS FABULA
COMMENTATIO ARCHÆOLOGICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS DISSELIUS

WALDECCENSIS.

HALIS SAXONUM MDCCCLXXXII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA BRANDEBURGENSIS J. WIESIKE.

I.

Fabula quomodo a scriptoribus tractata sit.

Aesculapius, Apollinis filius, quum arte sua ita uteretur, ut homines iam mortuos ad vitam revocaret, Juppiter id ferri non posse iudicans, ne Plutonis regnum incolis vacueferet, fulmine eum percussit¹⁾. Qua re ira incensus Apollo, ut filii dilectissimi mortem ulcisceretur, Cyclopes fulminum Jovis opifices (v. Apollod. III, 10, 4²⁾ vel ut alii tradunt, Cyclopum filios necavit (Pherecydes apud Sturzium p. 82 ed. II). Non vero ea vis impune ei cessit. Juppiter enim, qui ira recenti in Tartarum eum dejicere voluerat, Latonae precibus commotus hanc quidem sententiam mutavit, eam tamen poenam ei constituit, ut per annum totum atque integrum apud hominem mortalem servi munere fungeretur (Apoll. l. c. Eurip. Alc. prol.) Qui Jovis imperio obtemperans, quum cuiusnam viri servitium laturus esset, eligere ei liceret, ad Admetum se contulit, virum sanctum piumque, qui Pheris, oppido in Thessalia ad lacum Boeheim sito, ampla eaque fertilissima rura possidebat³⁾. A quo quum greges pas-cendi ei traditi essent, factum est, ut non solum numerus sed etiam virtus eorum valde augetur, ita ut Eumeli,

¹⁾ Diod. IV, 71. Eur. Alc. v. 127 [*Φοίβου παῖς*] *δραθέντας γὰρ ἀνίστη, πρὶν αὐτὸν εἶλε Διὸς βολὴν πλῆκτρον πυρὸς κεραννίου.*

²⁾ Idem Hesiodus tradit, cujus versus servavit Athenagoras Legat. p. 116 Oxf. Pind. Pyth. III, 57 eas imitatus est.

³⁾ v. Eur. Alc. 590 (Prinz) et Apoll. l. c. Poetae Alexandrini Rhianus, Callimachus, Hymn. in Ap. 50 (v. Schol. ad Eurip. Alc. v. 1), et eos secuti Tibullus (II, 3, 11) et Ovidius (Her. V, 151) Admetum ab Apolline amatum fuisse tradunt.

Admeti filii, equae in bello Trojano ceterorum heroum equis celeritate praestarent, τὰς ἐν Πηρσίῃ θρέψ' ἀγευρότοξος Ἀπόλλων II. II, 766.

Sed non in hac sola re Pherarum rex a deo adjutus est; multo magis enim, quemnam patronum fautoremque domo exceperisset, intellexit, quum Peliae, Jolci regis, filiam Alcestin in matrimonium ducere animum induxisset. Quam et pulchritudine et animi integritate⁴⁾ atque venustate praeter reliquas filias insignem nemini se uxorem daturum pater professus erat, nisi qui cum apro et leone in currum iunctis ad se venisset (Apoll. I, 9, 15) Quod ceteris, qui Alcestin petebant, gravi condicione deterritis Admetus ab Apolline adiutus perfecit. Ipse enim deus bestias illas iugo subdidit, cum quibus Admetus Jolcum profectus Alcestin a patre impetravit. (Apoll. I, 9, 17. Hygin. fabb. 50, 51) Nec quum Admetus in solemnibus nuptiarum celebrandis Dianae sacrificare oblitus iram eius in se collegisset, Apollinis auxilium ei defuit. Sororem enim, quae in cubiculum nuptiale draconum spiras miserat, placavit, simulque Parcas induxit, ut pollicerentur Admetum, si suprema eius hora fato constituta venisset, retenturum esse vitam, si alius loco eius mori suscepisset.

Hoc fere modo Apollodorus rem tradit et is quidem unus sacrificii ab Admeto omissi mentionem fecit. Euripides, quamquam nullo loco dilucide iniuriam ab Admeto Dianae illatam narrat, tamen rem novisse videtur, quod ex eo colligi potest, quod pactio ab Apolline cum Parcis facta ab eo commemoratur⁵⁾, ita quidem, ut eluceat, dolo illas ad eam inductas fuisse. Patet enim rationem aliquam intercedere inter sacrificium, quod instituere Admetus oblitus est, et pactum, quod Apollo cum Parcis iniit. Ac

⁴⁾ Hom. II. II, 713 sq. *δια γυναικῶν — Πηλίοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστη*. Diod. IV, 52 *Μόνην δ' Ἀλκίπην δι' εὐσεβείας ὑπερβολὴν ἀποσχίσθαι τοῦ γεννήσαντος* cf. Palaephatum de incred. c. 41.

⁵⁾ Alc. 12. 37.

mirum est nullo loco expressis verbis indicari a Diana propter honorem sibi non tributum irata maturam mortem in Admetum constitutam esse. Non enim dubito, quin in genuina fabulae forma res ita se habuerit. Dolus vero ab Euripide commemoratus, qualis fuerit, ex Aeschyli loco (Eumen. v. 719 ed. Herm.) apparet, ubi narratur Apollinem deas, quum vino implevisset, ad id, quod volebat, promittendum commovisse.

Admetus, quum, quae sors sibi instaret, comperisset, et amicorum et propinquorum numerum recensuit, ut aliquem pro se moriturum inveniret. Omnes vero vel Pheres ipse senex et Clymene mater id recusaverunt, solaque uxor pia fidelisque, cum quomodo maritus dilectissimus servari posset, audivisset, non dubitavit sua morte Admeto salutem afferre. Sed antequam anima eius in domos illas calliginosa nocte semper indutas descendit, Hercules, qui forte Pheras venerat, Orco⁶⁾ praedam vi lacertorum extorsit. Nec desunt, qui narrent Herculem Alcestin iam apud inferos morantem ab inferorum deis repetivisse, vel Proserpinam eam sua sponte amore eius erga maritum commotam remisisse⁷⁾.

⁶⁾ Ita vertimus graecum *θάνατος*, quamquam non ignoramus illud non prorsus idem declarare latine, quod graece *θάνατος*.

⁷⁾ Plato, Sympos. p. 179 B. Hygin. fab. 251. Zenob. I, 33. Schol. Aristoph. Vesp. 1239.

Robertus (Thanatos p. 30) magna cum probabilitate coniecit alteram fabulae formam, ex qua a Proserpina Alcestis remittitur a Platone demum profectam esse, et exempli gratia affert a Critia quoque, Socratis discipulo, illo tempore fabulam de Theseo et Pirithoo similem in modum immutatam esse. (v. Willamowitz-Möllendorffium, Anal. Eurip. p. 169). Magis vero in propinquo est locum Symposii, qui supra citatum continuo sequitur, afferre, ubi Phaedrus fabulam Orphei et Euridices immutat morem sophistarum secutus, qui veteres fabulas ad usum suum solebant transformare; ut in Symposio quoque unus quisque eam de Amore fabulam genuinam esse indicat, quae optime ad suam de natura deorum sententiam quadrat.

Jam quaeramus, quando et quomodo fabula, quam exposuimus, apud poetas graecos sit tractata. Ac primum quidem quod ad epicos attinet, perraro apud eos commemoratur. Ab Homero enim duobus solum locis⁸⁾ Admetus, altero Alcestis quoque nominatur, ita vero, ut Homerum iam fabulam posterioribus temporibus notissimam cognovisse ex iis concludi non possit, cum praesertim prior ille locus insit in catalogo navium, alter in libro XXIII., quem non magis ab Homero ipso esse quam catalogum iam pridem cognitum est. Ut igitur pro certo affirmari non potest Homero jam fabulam de qua agimus notam fuisse, ita epicos, qui post illum fuerunt, eam attigisse non magis certum est. Veri simillimum igitur videtur non iam in carminibus epicis fabulam ita conformatam fuisse, qualem scriptores posterioris aevi mythographi nobis tradiderunt. Nec vero demum a tragoediarum poetis eam confictam esse, sed jam ante poetarum tragicorum tempora in certam formam redactam, luculenter videtur ab Euripide ipso confirmari illo chori carmine, quo Alcestis pro marito mortem perpessa celebratur v. 445 sq.

Πολλά σε μονοπόλοι
 μέλψουσι καὶ ἐπτάτονον τ' ὀρεῖαν
 χέλιν ἐν τ' ἀλίοις κλέοντες ὕμνοις,
 Σπάρτην κέκλος ἀνίκα Καρνείου περιπίσσειται ὦρας
 μηρὸς ἀειρομένης
 παννύχου σελήνας,
 λιπαραῖσι τ' ἐν ὀλβίαις Ἀθάνας.

Jure ex his videtur colligi⁹⁾ posse in carminibus popularibus, quae Lacedaemone diebus festis Carneorum et Athenis, illic quoque fortasse diebus festis Apollinis canebantur, fabulam ita fictam formatamque esse, ut ex iis poetae dramatici materiam perfectam absolutamque haurire

⁸⁾ Π. Π 715. 763. XXIII, 289 sq.

⁹⁾ v. Robertum, l. c. p. 29.

et secundum leges suae artis componere potuerint. Atque primus Phrynichus¹⁰⁾ tragoediam de Alcestidis sorte scripsit. Cuius non nisi hoc exstat fragmentum: *σῶμα δ' ἀθαμβές γυιοδόμιστον τείρει*¹¹⁾.

Quae verba chori videntur esse certamen inter Herculem et Orcum spectantis atque ex iis videtur intelligi posse exitum tragoediae Phrynichi eundem fere atque Euripidis fuisse. (Vide quae Hercules verba facit apud Euripidem, cum certamen cum Orco initurus est [vv 846 seqq.¹²⁾]). Idem fere e loco Servii ad Vergili Aen. IV, 694 apparet: ,alii dicunt Euripidem Orcum in scaenam inducere gladium ferentem¹³⁾, quo crinem Alcesti abscindat. Euripidem hoc a Poenia antiquo tragico mutuatum. Etenim si hic locus recte a Jahnio et Nauckio, qui pro verbo ,Poenia' sine dubio corrupto ,Phrynicho' scribi volunt, emendatus est, sequitur, ut a Phrynicho quoque Orcus in scaenam ipsam inductus sit, id quod jam ex fragmento illo videtur concludi posse. Sophocles utrum Alcestidis sortem persecutus sit neque dubitatur. Ac diserte quidem negatur in altera Euripidis Alcestidis hypothesi¹⁴⁾ nec ullo loco titulus talis dramatis occurrit. Sed Plutarchus haec scribit de def. orac. 14: *καὶ μὴν ὄσας ἐν τε μύθοις καὶ ὕμνοις λέγουσι καὶ ἄδουσι, τοῦτο μὲν ἀρπαγὰς, τοῦτο δὲ πλάνας θεῶν, κρύψεις τε καὶ φηγάς καὶ λατρείας, οὐ θεῶν εἶσιν, ἀλλὰ δαιμόνων παθήματα, καὶ τύχαι μνημονούμεναι δι'*

¹⁰⁾ Suidas s. v.

¹¹⁾ Hesychius s. v. ἀθαμβές. Pro miro verbo γυιοδόμιστον Hermannus coniecit γυιοδόμητον.

¹²⁾ *κἄνπερ λοχαίαις αὐτὸν ἐξ ἔδρας σθεῖς μάργω, κέκλον δὲ περιβάλω χερσὶν ἐμαῖν, οὐκ ἔστιν, ὅστις αὐτὸν ἐξαίρησεται μογοῦντα πλεῦρα.*

¹³⁾ Ale. 75 sq. *ἰερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν, ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἀγνίστη τέλεια.*

¹⁴⁾ *παρ' οὐδετέρῳ κείται ἡ μυθοποιία.*

ἀρετὴν καὶ δύνάμιν αὐτῶν. Καὶ οὗτ' Ἀισχύλος εἶπεν·
 ἀγγόν τ' Ἀπόλλω φηγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν (Suppl. 211)
 οὔτε ὁ Σοφοκλέους Ἄδμητος·
 οὐμὸς δ' ἀλέκτωρ αὐτὸν ἔγε πρὸς μύλην.

Quem verum e fabula satyrica expressum esse Hermannus contendit, itaque non posse diiudicari dicit, utrum Sophocles Alcestidis sortem an servitum tantum Apollinis tractaverit. Contra Welckerus in libro, quem de trag. graec. scripsit n. 344, pro certo ponit talem a Sophocle tragoediam scriptam esse et alia quoque fragmenta incerta ad eam rettulit. Causae vero, quas attulit vir doctissimus, quum non prorsus mihi videantur ad persuadendum aptae esse et alia testimonia desint, rem in dubio esse relinquendam puto.

Ex latinis poetis Laevius drama de hac fabula composuit, cuius nonnullos versus Gellius X, 14, 7 servavit. De Attii Alcestide Priscianus IX, 867 hunc versum exhibet: 'Quum striderat retracta rursus inferis.' Apparet ex hoc fragmento Attium quoque Alcestin morientem et ab Hercule reductum persecutum esse. Sed Euripidis tragoedia non videtur exemplari usus esse, quum ille versus non ex Euripide sit petitus. Phrynichum vero eum secutum esse, id quod Hermannus existimavit, recte Welckerus ob eam causam non esse credibile dicit, quod nullo possit exemplo probari dramata Phrynichi mox oblitterata a Romanorum poetis expressa esse. Restat Sophocles, quem in hac quoque tragoedia ab Attio expressum esse facile posset conici, si certum esset, illum talem tragoediam scripsisse.

Patet ex his, quae de poetis attulimus, plurimam huius fabulae notitiam redundare ex Euripidis fabula sola integra servata, quam etiam vetere memoria multo magis quam aliorum, qui idem argumentum secuti sunt, dramata innotuisse, ex operibus artis figuratae cognoscitur, de quibus infra plura dicemus. In quibus, quum imprimis

ea fabulae forma, qua Euripides usus est, expressa sit, non videtur supervacaneum esse paucis argumentum fabulae Euripidis indicare.

Apollo domo Admeti, in qua per annum servitium molle tulit, cessurus Orcum videt intrantem gladio accinctum, ut crinibus Alcestidis abscisis inferis eam voveat. Frustra ei persuadere conatus, ut vitam illi concedat, abit, quum in domo funesta morari ei non liceat. Deinde Alcestin ipsam videmus in lecto cubantem et cum Admeto et liberis dilectissimis, Eumelo et Perimele¹⁵⁾, suprema verba facientem. In longo hoc colloquio id imprimis Alcestis ab Admeto impetrat, ne post ipsius mortem aliam uxorem domum inducat, quam ut privignam liberos male habituram esse credit.

Alcestide iam mortua dum, quae ad funus eius faciendum opus sunt, praeparantur, Hercules advenit, qui iter ad Diomedis equas arcessendas faciens apud Admetum hospitem devertit. Qui ut liberali est in hospites animo, ne Herculem domo expellat, interrogantem, quaenam tanti luctus causa sit, veram doloris sui causam celat dicens servam aliquam mortem obisse, et ministrum iubet domum eum introducere. Is ubi introiit, Pheres advenit, Admeti pater, una cum ministris, qui ornatum in usum Alcestidis mortuae destinatum afferunt. Cujus dona Admetus statim repudiat graviter eum increpans, quod pro se mortem obire noluerit. Interea Hercules ab eo, qui in cena ei ministrabat, quaenam re vera mortua sit, audivit et in praemium liberalitatis Admeti Alcestin ab inferis educere constituit. Aut enim Orco se eam erepturum, quam prope sepulcrum morari existimat sanguinem bibentem, aut si id non contigerit, ad inferos descensurum pronuntiat, ut a Plutone eam repetat. Nec conatui eius eventus deest. Orco enim acerrimo certamine

¹⁵⁾ Schol. ad. v. 264.

devicto ad Admetum revertitur, quem dolore afflictum et debilitatum repperit, mulierem omnino velatam secum ducens, quam sibi in ludis pugnatoriis certaminis praemium contigisse dicit. Petit ab amico, ut eam domo sua recipiat, dum ipse ab itinere revertatur. Admetus vero, quum Alcestidi morienti pollicitus sit se numquam alteram uxorem domum ducturum esse, eo vehementius id recusat, quum mulier, quam Hercules adducit, similitudine quadam eum de uxore mortua admoneat. Tamen vero iterum petitus, ne hospitem laedat, obsequitur et ministrum mulierem peregrinam introducere iubet. Quod quum Hercules Admetum ipsum facere velit, in eo quoque, quamvis ei sit molestum, voluntati hospitis morem gesturus est, quum feminam tangens uxorem suam agnoscit¹⁶).

II.

De fabulae origine.

Jam quum quomodo a scriptoribus fabula tractata sit exposuerimus, non ab re videtur alienum esse, unde orta sit fabula, exquirere. Ac facile potest intellegi nec veteribus nec proximis temporibus defuisse, qui in ea explicanda studium collocaverint. Non tamen videtur operae pretium esse omnes, qui de ea egerunt¹⁷), afferre vel redarguere, quum multo maxima pars explicationum posita sit in ea fabularum veterum originisque earum

¹⁶) Mitto hoc loco quaerere, utrum hoc argumentum magis ad tragoediam an ad fabulam satyricam pertineat, qua de re praeter ceteros egit Hermannus l. c.

¹⁷) Plures attulit L. Stackius, de Admeto et Alcestide, Progr. Rintelense 1873. p. 3.

cognitione, quam nunc tamquam obsoletam vix quisquam probabit. Minime vero mirum est antea multos frustra in fabulis explicandis studium collocavisse, quum nuper demum singulis singularum nationum fabulis collectis et comparatis recta fabulas explicandi ratio inita sit. Cuius scientiae, quam mythologiam comparativam appellant, lucis, quamquam nondum particeps fuit vir ingentis acuminis et doctrinae C. O. Muellerus, tamen optime viam explanavit et patefecit libro, quae inscribitur, 'Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie'. Quum enim antea sine certa ratione plerumque institueretur cuiusvis fabulae explicatio, in eo libro primum rationes doctae sunt, quas is, qui fabulas explicare vult, sequi debet.

In exemplis, quae M. ad viam novam illustrandam attulit, etiam fabula est, de qua nos quaerimus. l. c. p. 299 sq.¹⁸). Ibi primum Muellerus ea, quae de Cyclopibus per Apollinem et de Aesculapio per Jovem necatis narrantur, a fabula genuina aliena esse et posterioribus demum temporibus in eam illata dicit a Pherecyde vel Hesiodo, qui eam rettulerint¹⁹). Tum eam, quae restat, partem fabulam delphicam esse iudicat. In ea vero Apollinis servitutum non a Cyclopibus, sed a Pythone occiso deductam esse. Delphis enim octavo quoque anno puerum Apollinis cum Pythone certamen imitatum esse et re perfecta in via sacra Tempe in Thessalia septentrionali sita migravisse, unde expiatus et laurea e valli sacra desumpta ornatus pompam ducens Delphos reverteretur. Qua in via puerum etiam Apollinem servientem egisse²⁰). Atque huic servituti a puero effictae eam respondisse, quam Apollo ipse Pheris tulerit, quum praesertim via

¹⁸) Brevius jam de ea egerat Dor. I p. 320.

¹⁹) Schol. ad Eurip. Alc. v. 2.

²⁰) Plut. de def. orac. 15 αἷ τε πλάναι καὶ ἡ λατρεία τοῦ παιδὸς οἷ τε γινόμενοι περὶ τὰ Τέμπη καθαρμοί.

a puero confecta Pheras attigerit. Sequi igitur, ut haec fabula re vera sit delphica. „Von Delphi ging das Recht der Blutsühne aus und die Idee, aus welcher die Mord-sühne hervorging, erzeugte auch den Mythos, denn Kultus-gebrauch und Mythos sind nur verschiedene Aeusserungen desselben Gedankens.“

Quae C. O. Muellerae sententia ob eam rem ad irritum cadere videtur, quod propter Pythonem, non Cyclopes interfectos Apollinem servitii iugo oppressum esse sumit. Non enim video, cur ea, quae de Cyclopi-bus et Aesculapio narrantur, a scriptoribus posterioris aevi ad arbitrium efficta esse putemus, praesertim quum apud Euripidem reperiantur, quem scholiasta auctor est usitata et vulgari fabulae forma usum esse²¹⁾. Etenim quum Euripides et alii scriptores, quos scholiasta attulit, consentiant, uni Alexandridae²²⁾, qui Pythonem occisum cum fabula, de qua quaerimus, conjungit, nihil auctoritatis tribuendum esse videtur. Praeterea Muellerus non nisi parvam totius fabulae partem explicavit, multo majorem eamque gravissimam praetermisit.

Jam Godofredus Hermannus in dissertatione de Euripidis Alcestide scripta Muellerae explicationem impugnavit, in editione Monkii p. XIV: „Id novissime quodam incredibili modo facere conatus est C. O. Muellerus, vir ingenio doctrinaque praestantissimus . . . qui tamen vellem nec more hodierno ad mysticae religionis inexplicabilem doctrinam propenderet neque in demonstrando ea ratione uteretur, quae lectores aut temere credere aut omnia iterum pervestigare cogeret et q. s.“ Ipse hoc fere modo fabulam ortam esse censet. Quod Apollinem Pheris servum fuisse narretur, id fortasse ita esse explicandum, ut ei,

²¹⁾ ad v. 5. ἡ διὰ στόματος καὶ δημῶδης ἱστορία περὶ τῆς Ἀπόλλωνος θητείας παρ' Ἀδμήτῳ αὐτῆ ἐστίν, ἣ κέχρηται νῦν Εὐριπίδης.

²²⁾ Ita Hemsterh. ad Polluc. IX § 59 et Vossius de hist. gr. p. 405 pro „Anaxandrides“, quod in libris est, scripserunt.

qui primi cultum Apollinis Delphis constituerint, expugnata indigenarum religione cedere rursus coacti in Thes-salia apud pios eosque opulentos homines per fugium in- venerint, dum eis redire Delphos licuerit. Sed ne haec quidem explicandi ratio probari potest, quum Hermannus quoque fabulam esse Delphicam sine probabili causa arbi- tretur et Cyclopi et Aesculapii necem praetermittat, quam arte cum fabula nostra cohaerere planum est. Deinde ea quoque, quae de Alcestide narrantur, spectare ad sacra et cultum Apollinis vir doctissimus ponit: „Ac videtur illa

Ἀλκίσις, Πελλίαι θυγάτρων εἶδος ἀρίστη

multis petita prociis, ut et ipsius et parentum Peliae atque Anaxibiae seu Philomachae nomina indicant, opes et di- vitias designare advenarum Joleum tenentium“. Quam si pater non nisi ei nuptum se daturum dixerit, qui aprum et leonem iunxerit currui, eo indicari multos Thessalos opibus et divitiis eorum qui Joleum possedissent, invidisse. Nam imagine apri et leonis iugo subeuntium „anticorum illos fabularum inventores contentionem eorum significare, qui sibi aliquid invidiant, alterque alteri praeripere stude- ant“. Hoc declarari et Homeri versibus Il. XVI, 823

*ὡς δ' ὅτε σὺν ἀλάμαντα λέων ἐβίβαστο χάρη
ὡτ' ὄρεος κορυφῆσι μέγα φρονέοντε μάχεσθον
Πίδακος ἀμφ' ὀλίγης· ἐθέλουσι δὲ πιέμεν ἄμφω.
Πολλὰ δὲ τ' ἀσθμαίνοντα λέων ἐδάμασσε βίηφιν.*

et oraculo de Adrastris filiabus apro et leoni nupturis dato. Quodsi Admetus opere illo peracto Alcestin domum duxisset dicatur, ea re significari contentionem illam ita esse com- positam, ut Jolei, adducti ad Apollinis cultum, ipsi illo- rum opibus fruerentur. Odium vero et invidiam in occulto orta esse multosque esse periclitatos splendorem illius cultus delere. Quomodo factum esse, ut sacra Apollinis in tantum discrimen adducerentur, ut nisi sacerdotes sponte thesauros tradidissent, de cultoribus dei actum fuisset. Quas res contineri in extrema fabulae parte. In-

vidiam enim illam indicari draconum spiris in cubiculo Admeti repertis, Alcestitis mortem significare periculum cultoribus dei ortum, salutem denique ab Hercule praeter spem Alcestiti allatam ita esse explicandam, ut thesauros traditos mox a viris fortibus inopinatam opem ferentibus recuperatos esse putemus.

Ne haec quidem, quae G. Hermannus ad fabulam, quam tractamus, explicandam excogitavit. quamvis miro acumine usus sit, nobis possunt probari. Prorsus enim ad arbitrium Hermannus res illas, ex quibus fabulam deducere vult, effinxit et facile potest intellegi multas alias fabulas simili modo posse explicari, ita vero, ut ne speciem quidem veritatis habeant ejus modi conjecturae. Atque eo magis ea explicandi ratio nunc reprobanda est, quum nostris temporibus mythologia, quam dicimus, comparativa prorsus diverso modo fabulas illas antiquas ad originem suam reducendas esse docuerit.

Nec defuit nuper, qui secundum illius scientiae leges fabulae, de qua agitur, ut ita dicam, fontes invenisse sibi videretur. In programme enim supra citato Lud. Stackius imprimis id egit, ut huius fabulae originem indagaret. Qui primo loco in universum plura ad mythologiam comparativam illustrandam affert, deinde quae sit deorum, qui in fabula occurrunt, Apollinis²³⁾, Herculis, Aesculapii pri-

²³⁾ Hoc loco Stackius etiam de origine nominis Apollinis sententiam suam profert, „quae quamquam arctioribus linguae graecae finibus circumscribitur, nihil quo sibi ipsa contradicat videtur habere.“ Antiquissimam verbi formam putat esse *Ἀπέλλον*, in qua *α* sit praefixum. Quod restat *πέλλον* de verbo *πέλλω* vel latino pello deducit. Hoc vero idem esse quod *πάλλω*, atque hoc quidem duriorem formam verbi *βάλλω*, ad quod et *βέλος* et *βέλω* pertinere dicit. Apollinem igitur eum esse vult, qui luminis radios emittat atque vibret, sed etiam eum, qui se vertat (vertatur) et circumagatur. Nec non verbum creticium *Ἀβέλιος* ad verbum *Ἀπόλλων* putat pertinere. Inepta sane verborum originem explicandi ratio! Quum enim *Ἀβέλιος* idem esse, quod *ἥλιος*

maria natura atque indoles exponit. Atque illis quidem solarem vim inesse recte iudicat, ita vero, ut Apollo deus sit solis aestivi, Hercules solis verni, Aesculapium autem significare vult vim salutarem, quae in aere puro salubrique insit, qualis opportuno anni tempore montibus sit circumfusus, unde frigidi fontes defluant²⁴⁾ Deinde primaria illorum notione innixus priorem fabulae partem, quae quidem ad Aesculapium per Jovem et Cyclopes per Apollinem occisos pertineat, hoc modo ortam esse putat: Juppiter eo qui, tempestatem antecedit, aestu tollit aeris puri salubritatem i. e. Aesculapium interficit. Deinde caelum atris nubibus obducitur atque tempestas oritur. Brevi vero sol antea nubibus tectus victor effulget, ita ut tempestatum nubes, ex quibus fulmina paulo ante proveniebant, dispergantur, i. e. Cyclopes, quos jam nomina *Βρόντης Στερόπη* *Ἄεργης* indicant pertinere ad fulminum nubes, ab Apolline, solis deo, interficiuntur.

Haec non male Stackius videtur commentus esse atque eo magis ad persuadendum apta sunt, quod a tempestatibus tonitribusque multas easque diversas diversorum populorum fabulas esse repetendas constat. Minus vero bene Stackius eam quae reliqua est fabulae partem explicavit. Quid? quod primo Admetum esse Apollinem ipsum contendit „nec tam qui universe Solem, quam qui invictum Solem aestivum significet, qui post tempestates *ἄδμητον* se declarat.“ Permirum hoc esse quicumque obiter ad mythologiam comparativam, quae dicitur, accesserit, intelliget.

(ex *ἥλιος* digamma ejecto deductum cf. Curtium, Etymol. graec. p. 399 Kuhnium, Zeitschrift f. vergl. Sprachw. I, 29) perspicuum sit, sequitur, ut et *Ἀπόλλων* et *ἥλιος* verba ad eandem sint revocanda originem. Satis sit ad Stackium refutandum afferre, *α* praefixum, quamquam late pertinet in lingua graeca, numquam tamen occurrere ante litteras *π*, *τ*, *φ*. cf. Curtium l. c. p. 720 sq.

²⁴⁾ Apollinis filius igitur ob eam rem nominatur, quia aeris salubritas in solis radiorum efficientia posita est.

Atque miram hanc opinionem mirum in modum confirmare studet. Facile enim putat „Apollinem-Admetum eandem esse naturam“ colligi posse e loco Pausaniae III, 18, 9, qui in throno Apollinis Amyclaei non Apollinem, sed Admetum leonem et aprum currui adiungere dicat p. 10 „Quum autem Apollodorus atque Hyginus Apollinem hoc labore functos (sic) esse tradant, intelligi non posset, quomodo is, qui opus illud artificiosissimum fecit, pro eo Admetum substituisset, nisi in mente atque cogitatione eorum, qui cum antiquissimis deorum opinionibus maiorem habebant familiaritatem, Apollo et Admetus in unam quasi naturam coaluissent.“ Non bene ita Stackius concludere videtur. Minime enim illam in Amyclaeo throno imaginem sequitur Admetum sine Apollinis auxilio illud munus onusque perfecisse. Nimirum unum tantum rei momentum ab artifice repraesentari poterat. Itaque Admetum effinxisse videtur habenas manu tenentem, ut ad Peliam vertatur cum bestiis antea ab Apolline currui iunctis. Accedit, quod ea, quae de Apolline apud Admetum greges pascente narrantur, si eandem personam significarent, omnino non possent intellegi. Nam quod ad hoc explicandum Stackius attulit me quidem non intellegere profiteor²⁵⁾.

Nec melius de Alcestidis personae notione primaria iudicavit. Qua de re haec sunt ejus verba. „Jam quum

²⁵⁾ l. c. p. 10. (Jam vero quaerentibus nobis, quid sibi velit, quod Apolline pastoris munere apud Admetum fungente huius greges augeri dicuntur, fertilitatem pratorum ea re significari apparet, si quidem res pecuaria imprimis solis beneficiis crescit.) Ac sane quidem si illi, qui initio rerum in omni natura numina divina animadvertere sibi videbantur, eos deos, qui eundem ordinem tenebant, matrimonii vel fratris vel sororis imagine, qua coniuncti essent, eas autem quorum alter ab altero penderet, ita menti proponere solebant, ut alter ab altero originem traheret: nihil profecto facilius magisque rationi consentaneum videtur, quam vires divinas ab ipso deo sejunctas atque in certae rei usum collocatas servitii imagine collocari!

Apollinem-Admetum solem aestivum, Herculem solem vernum significare probasse nobis videamur, si meminimus veteres Graecos, ut homines Asiatici (sic), tria anni tempora numerare, dubium non est, quin Alcestis, quam adhuc silentio praeterimus, ad solem hibernum referenda sit.“ Cur tandem, quaeso, licet Apollo-Admetus ille a Stackio fictus sit sol hibernus, Hercules sol vernus, Alcestis necessario ad solem hibernum referenda est? Nonne multo rectius pertinere eam dicas ad quodlibet aliud, quod in rerum natura est, cum praesertim nulla possit fabula afferri, in qua sol feminae speciem induerit?²⁶⁾

Ita singularum, quae in fabula occurrunt, personarum notione posita, totam fabulam hoc modo Stackius explicat. p. 11: „Asperiore anni tempore appropinquante Apollini-Admeto moriendum est, sed ipse per se non moritur, nam sol, qui morti sese offert, est sol hibernus, cuius personam Alcestis suscipit. Qui quidem sol, quum ad infimum eclipticae viae locum descendat, ad inferos descendere putatur, sed apud inferos non remanet, si quidem Hercules, qui est sol vernus, denuo emergit atque ascendit quare eam reducere fingitur. Sic transitionem aestatis in hiemem reditumque veris sub personarum specie latere perspicuum est.“ Age, praetermissa tanta in singulis personis explicandis repugnantia per se sententiam quam hoc loco Stackius profert, examinemus. Quid? Num aliquo modo potest probari, quum dicit Alcestin i. e. solem hibernum esse Admeti i. e. solis aestivi uxorem? Qua enim ratione fieri poterat, ut homines illi antiquissimi

²⁶⁾ Etiam leo et aper iugo pressi quid sibi velint, permirum in modum Stackius explicare studet: „Leo enim in circulo Zodiaco aestatem, aper rigidam sterilemque hiemem significat, unde sequitur currum illum esse solem, in eiusque cursu duo anni tempora primaria imprimis notari, quum Hercules, qui illos iugo alligare dicitur, primum anni tempus significet.“ Frustra quaeritur, quid hoc loco Hercules sibi velit, quem bestias illas iugo pressisse nullo loco traditur.

Admetum et Alcestin matrimonii vinculo coniunctos putarent, quippe qui numquam in rerum natura conveniant, quum sole aestivo oriente hibernum occidere necesse sit? Nec puto posse afferri ullam fabulam, in qua dei ad solem pertinentes matrimonio inter se iungantur.

Apparet igitur ne Stackio quidem contigisse, ut fabulam, de qua agimus, ad principium atque fontem, unde fluxit, revocarit. Restat, ut quae nostra ipsius de illa sententia sit, in medium proferamus. Atque quum primum ei, qui fabulam explicandam sibi proposuit, id agendum sit, ut in singulas eam partes distribuatur et ea, quae minus ad rem pertinent, secernat, hanc fabulam in tres esse distribuendam partes nemo non videt. Quae partes hae sunt: Prima: Admetus Alcestin, quam amat, domum suam ducit. Altera: Alcestis maritum morti destinatum eo servat, ut ipsa pro eo vitam profundat. Tertia: Hercules illam ab inferis reducit.

Macrobius (Sat. I, 23) non injuria videtur existimare omnes fere deos soles esse. Re vera enim, si ad omnium deorum vim ac naturam in universum attendimus, multo plurimos cum sole vel artius vel minus arte cohaerere intellegemus. Non tamen minus vere dixeris multo maximam partem mythorum ita esse ortam, ut homines aevi illius antiquissimi et solem ipsum et res, quae in caelo et ortum eius et occasum vel sequuntur vel praecedunt, caetera, quae soli anno vertente occurrunt, spectantes ex aetatis suae more et consuetudine de spectatis, quid sentirent, imaginibus usi exprimerent. Eo enim tempore viri docti fabulas illas ortas esse docuerunt, quum nec cogitandi nec loquendi ars atque facultas eo iam progressae essent, ut, quae in rerum natura fiebant, suis atque propriis possent exprimi verbis, ita ut imagines et similitudines multo latius quam nunc in lingua paterent. Unde ut exemplo utar illo tempore solem vel nasci vel mori dicebant pro eo, ut eum oriri vel occidere dicerent. Simili modo

quum quotidie solem sequi auroram observassent, solem aurorae amore contactum eam sequi et amplecti credebant. Qua ex ratione cogitandi plurimae fabulae ortae sunt, ex quibus notissima ea est, quae de Aurora et Tithono fertur. Tithoni enim nomen, quod cum verbo sanscritico didyānah, quod idem significat ac latinum ‚splendens‘, cohaerere viri docti putaverunt, ad solem pertinet, neque tamen eodem ac nomina *Φοῖβος* et *Ἥλιος* modo, sed Tithonus deus est, cui brevis unius diei cursus contigit, qui mane quidem pulchritudine splendens oritur, cursu autem peracto occidit numquam reversurus²⁷⁾. Is quamquam Aurora petente a Jove in immortalium numerum receptus est, tamen in dies evanescit et tabescit, quum uxor eius, quae aeterna iuventute fruitur, pro marito quoque aeternam iuventutem a Jove impetrare oblita sit. In nostris fabulis simili modo Siegfriedus et Balderus, in graecis Endymion, Cephalus, Orpheus²⁸⁾, alii explicandi sunt. — Nec minor est numerus nominum, quae in veteribus fabulis ad auroram pertinent. Etenim Euryphaessa, Solis mater, Euryphyle, filia Endymionis, Eurymeđe, uxor Glauci, Eurydice, uxor Orphei, ex sententia virorum doctorum, qui in fabulis veteribus explicandis versantur, omnes eandem auroram significant. Sed ad id quod nos volumus imprimis pertinet fabula, quae de Orpheo et Eurydice traditur. Est autem haec: Eurydice a serpente (i. e. nocte) morsa moritur et in tartarum descendit, Sed inferorum dei Orphei precibus et egregio cantu permoti concedunt, ut ea maritum ad haec loca, quae nos incolimus, sequatur, eam vero addunt condicionem, ne prius Orpheus, quam ad solis lucem pervenerint, respiciat. Quo imperio obsecuti quum fere usque ad terram pervenerint, ille vel dubitatione vel amore permotus respicit, quo facto statim uxor relabatur, id quod praeclaro modo M. Muellerus hoc

²⁷⁾ v. M. Muellerum, Essays II, p. 75.

²⁸⁾ v. M. M. l. c.

valere ostendit: ‚der erste Sonnenstrahl schaut nach der Morgendämmerung hin — und die Morgendämmerung verschwindet.‘ (l. c. p. 115.)

Jam ut revertamur ad eam fabulam, quam potissimum quaerimus, non videtur posse dubitari, quin maxima similitudine cum ea, quam modo attulimus, sit coniuncta, ita ut simili ratione eam esse explicandam ego quidem persuasum habeam. Admetus enim, id quod nominis ipsius etymologia probatur, eodem modo solem significat atque Cephalus Endymion alii, uxor vero eius Alcestis ad Auroram videtur spectare. Nec nominis origo abhorret ab ea, quam proponimus, explicatione. Verbum enim Alcestidis pertinere videtur ad verbum sanscr. primitivum ‚ark‘, de quo in lingua sanscrita ductum est verbum arkas i. e. solis radius vel sol ipse, atque ab eadem stirpe in lingua graeca verba ἠλέκτωρ, ἠλεκτρον, ἠλέκτρα ducenda esse Curtius in etymologia graeca p. 137 docuit. Alcestis igitur ea est, quae splendet atque fulget.

Itaque Admetum Alcestin amare et eam uxorem domum ducere dicebant, quum auroram in caelo effulgentem atque solem eam sequentem vidissent. Hoc quum in similibus fabulis simili modo expressum sit, non est, cur pluribus confirmemus. Huius vero fabulae ea res imprimis propria est, quod cum leone et apro currui iunctis Admetus vehitur. Sed ne haec quidem res ab simplicissima explicatione abhorret. Leo enim et aper in multis fabulis ad solis radiorum vim et efficientiam spectant (cf. Prelleri Myth. graec. II, 190. I 372). Itaque fingeant homines Solem illas bestias iugo premere, ut Aurora, uxor eius adamata, cum eis evehi posset. Ac re vera Aurora occurrit in curru apro et leone vecto sedens in nummis divi Traiani apud Eckhelium D. N. 6. 642.

Persuasum igitur habemus eam, de qua egimus, fabulae partem ad solem ascendentem et auroram prosequentem pertinere. Transeamus ad alteram partem expli-

candam. Brevi cursu in caelo peracto sol inclinatur et simili modo atque mane opaco crepusculo caelum obtegatur. Quid? nonne crepusculo in caelo oriente matutinum diluculum in memoriam illis hominibus venisse verisimillimum est. Postremum igitur Alcestin conspici putabant atque maritum postremum complexam pro eo mori, ut ille sequenti die ab oriente denuo novo splendore indutus possit ascendere²⁹). Atque praeclare ad hanc explicationem serpentes quadrant, quae in Alcestidis cubiculo repertae sunt. Saepius enim recurrunt in fabulis, quae ad solem spectant, quippe quae noctis vel inferorum sacrae sint³⁰). Cuius rei ut exemplum afferam, Hercules serpentibus fauces elidit, quae in eum in cunabulis jacentem invadunt i. e. sol juvenilis modo natus noctem superat, ac simili modo in Orphei fabula Eurydice i. e. crepusculum vespertinum serpente morsa moritur. Eodem igitur in hac fabula serpentes pertinent, noctem enim significant, quae oboriens crepusculum exstinguit.

Jam tertia, quam proposueramus, fabulae pars quid sibi velit, facile intellegitur. Nimirum tenebrae denuo a lucis deo vincuntur; itaque Herculem, eum quoque solis deum, (cf. Prelleri l. c. II, p. 157 sq.) Alcestin Admeto restituere dicebant, quum ab oriente diluculum in coelo ascendens et solis splendorem denuntians conspexissent.

²⁹) Alcestin igitur morientem putamus spectare ad crepusculum, quum Apollinis et Daphnes fabula, ea quoque nostrae similis, ita explicetur, ut Daphne i. e. diluculum vel Aurora fugiat sole oriente et extingatur, quum ille eam amplecti studeat.

³⁰) Itaque Proserpinae quoque serpentes sacri fuerunt.

III.

Fabula quomodo ab artificibus tractata sit.

A.

De artis operibus quae ad nuptias Admeti pertinent.

Antiquissimum quod sciamus ex artis operibus, quod ad fabulam, de qua agitur, pertinet, in throno illo fuit antiquitate clarissimo Apollinis Amyclaei, opere Bathyclis Magnetis, cuius descriptionem servavit Pausanias. Ibi enim et multae aliae res ex fabulis desumptae et Admetus effictus erat leonem et aprum ad currum adiuncturus (III, 18, 8 *τελευταία Ἀδμητός τε ζευγνύων ἐστὶν ἐπὶ τὸ ἄμα κάπρον καὶ λέοντα*).

Eandem rem Petersenus (arch. Zeit. 1863 p. 106) in anulo etrusco apud Abekenum, Mittelitalien T. VII. 6 a expresso agnoscit. In quo leo et aper curru subiuncti conspiciuntur, qui a viro *ἱματίῳ* vestito, qui in curru positus frena et flagellum manibus tenet, reguntur. Praeit curru femina quattuor alis praedita, quae sinistra ramum tenet. Praeterea in superiore imagine stella, in inferiore planta conspicitur. Patet igitur in eo solum eam, quam anulus continet, imaginem, cum ea, quam Pausanias descripsit, consentire, quod in utraque leo et aper iuncti occurrunt. Nam praeter hoc nihil est in hac imagine, quo ad Admeti fabulam eam referre permoveamur. Atque eo minus Peterseni sententia ferenda videtur, quod ex nostra fabula ea, quae praecedit, femina vix potest explicari. Nec magis imaguncula a Begero in libro de Alcestide expressa, in qua item leo et aper coniuncti sunt, cum fabula nostra cohaerere videtur.

Recte vero Petersenus anaglyphum romanum³¹⁾ sepulcrale saeculi post Chr. alterius huc rettulisse mihi videtur. Dextra anaglyphi parte sedet vir tunica chiridota et *ἱματίῳ* indutus, sceptrum manu tenens; corporis habitus

³¹⁾ Ann. d. J. XXXIII p. 227 sq. Mon. XVI T. LII, 3.

talis est, quali reges effingere solent artifices. Cui exadverso iuvenis cernitur chlamyde vestitus et parazonio et hasta exstructus; regem adspiciens dextram sinistrorsum protendit. A sinistra parte progrediuntur leo et aper currum advehentes, in quo Diana cernitur, quae frena (quae desunt in anaglypho) tenere videtur. Juxta aprum Apollo stat lauro coronatus, qui pharetram super humeris portans et arcum laeva tenens dextra aprum videtur impellere. Porta, quae pone currum est, Petersenus putat indicari iuvenem modo cum curru et deis intravisse. Postremo iuxta regem femina stat longis vestibis induta, cuius effigies velo obtegatur. Quod anaglyphum primus Brunnus ad fabulam nostram referendum existimavit nec vero prorsus recte id explicavit³²⁾. Vix enim potest esse dubium, quin eo representetur Admetus a Pelia coniugem petens eo modo, quo ab Apollodoro et Hygino fabula narratur. Ille igitur, qui in throno sedet, Pelias est et femina, quae capite velato juxta eum stat, Alcestis veste nuptiali ornata. Quod Pelias brachium tollit, ita videtur explicandum esse, ut inopinata res illa ei accadat. Una Dianae figura non bene quadrare videtur ad hanc explicationem, sed quod scena ad nuptias pertinet, ne in ea quidem offendendum est.

B.

De artis operibus, quae ad Alcestin morientem et ab inferis redeuntem pertinent.

Primo loco commemoro picturam vasis etrusci, in quo Admetus et Alcestis postremum sibi valedicentes repraesentantur³³⁾. Mediam picturam duae figurae longis

³²⁾ Brunnus eam, quae sedet, figuram Plutonem esse existimans et eam, quae iuxta eum est, feminam *εἰδωλον*, fortasse formam fabulae extitisse coniicit, ex qua Apollo ipse cum sorore ad inferos descenderit Alcestin repetiturus.

³³⁾ Dennis Cities and cemeteries II. Arch. Zeit. 1863. t. CLXXX.

vestibus indutae occupant, quorum nomina superscripta sunt. Alcestis ambobus brachiis Admeti cervicem amplectitur, quum hic ab amplexu coniugem remoturus videatur. A dextra et sinistra parte accelerant duae figurae horrendae, quarum altera malleum, quem Etruscorum Charun ferre solet, erectis manibus vibrat, altera alata singulas utraque manu serpentes tenet³⁴). Ex eo, quod Admetus videtur Alcestin ab amplexu remove et quod perspicuum est eum daemone, qui a dextra imaginis parte stat, Admetum non Alcestin aggressurum esse, Peterseni sententia videtur reiicienda esse, qui imaginem ita explicandam putat, ut Admetus Alcestidi moriturae valedicat. Immo recte ante Petersenum Brunnium de ea iudicasse existimo, qui artificem vult finxisse, Alcestin eo temporis momento, quum Admetum mors aggreditur, se interponere, ut pro eo moriatur. Ita si rem explicamus, patet non ab Euripide materiam imaginis artificem sumpsisse, nec tamen ea ita a fabula tralaticia discrepat, ut non artificem hoc sibi libertatis sumpsisse statuamus.

Alcestin morientem et eam ab Hercule reductam quattuor repraesentant sarcophagi, qui quamquam in rebus minoris momenti inter se discrepant, tamen in singulis ita consentiunt, ut ad unum videantur exemplar revocandi. Hi vero sunt: **A** Ostiae inventus nunc in Vaticano exstat, **B** anno 1734 a duce de St. Aignan, legato in cellula papali, in Francogalliam translata, nunc in arce de St. Aignan reservatur, **C** sarcophagus Albanus, **D** sarcophagus in codice Pighiano delineatus³⁵). Quorum

³⁴) cf. Bindseil, Die Gräber der Etrusker, Schneidemühl 1881, p. 38 sq.

³⁵) **A** apud Gerhardum Ant. Bildw. t. XXVIII. **B** a Roulezio Gaz. arch 1875 pl. XXVII editus, **C** apud Zoega, Barsiril, I, t. XLIII, Millin, G. m. CVIII, 428 Guignaut, Relig. de l'ant. IV, t. 175. Winckelmann, Mon. ined. 86. **D** non nisi apud Begerum, in libro 'Alcestis pro marito moriens' Coloniae Brandenburgicae 1703.

ei, quos notis C et D significavi, plurimum inter se consentiunt, ut facile possis conicere Pighianam adumbrationem expressam esse secundum sarcophagum Albanum atque quod C plures exhibet figuras ita explicandum, ut Pighius eum descriperit, quum nondum, ut nunc est, mutilus fuerit³⁶).

In omnibus his sarcophagis tres sunt discernendae scenae, quarum media ea est, in qua Alcestis moritur. Atque in medio A Alcestis in lecto posita est ad sinistrum versa. Sinistra manu in lectum innititur, dextram viro iuvenili, sed barbato, qui sinistra parte ad lectum accedit, ita porrigit, ut vires eius vix sufficere videantur. Admetus, ita enim vir appellandus est, qui chlamyde super humero fibula coniuncta vestitus accedit, dextra Alcestidis manum apprehendit, sinistram ad gladii capulum, qui de sinistro humero dependet, refert. Prae lecto liberi Alcestidis, qui etiam in Euripidis fabula occurrunt, effecti sunt, ac dextra quidem parte puer toto corpore nudus, qui pedem sinistrum in scabello ante lectum positum innititur. Gestu utitur eodem, quo saepenumero *Ἐρωτες* queribundi utuntur. Puella, quae ab altera parte stat, maiorem quam puer prae se fert dolorem. Ea lecti parte, ubi caput Alcestidis est, ministra manum lugentis gestu tollit. Pone lectum mulier aetate provectiore dextram simili gestu movet. Quam figuram pro nutrice Alcestidis, non matre eius habendam esse puto. Nam et ad fabulam, qualis tradi solet, mater non quadrat et in anaglyphis C et D, ubi prorsus eodem loco occurrit, ornamento illo capitis praedita est, quod solum nutricibus ab artificibus tribui solet. In quarto sarcophago haec figura in alium locum ab artifice translata est.

Laeva anaglyphi parte per portam vir intrat chlamyde super humero fibula coniuncta indutus, qui laeva manu

³⁶) Aliorum sarcophagorum quae huc pertinent fragmenta v. apud Matz-Duhn, no 2889 sq.

hastam, dextra funem tenet, ad quem canis alligatus est. Quem cum Roulezio l. c. pro Admeto habemus a venatione redeunte; cui minister dextra ad eum accidens narrat Alcestin coniugem in extremo esse. Sequitur post ministrum alia viri figura, qui Admeti videtur comes esse. Deinde Apollo cernitur ad sinistram progrediens et faciem ad dextram partem revertens chlamyde laevum brachium obtegente et de dorso defluente. reliquis corporis partibus nudus. Manu sinistra arcum tenet, dextram vivido gestu effert. Ex quo gestu et quod pedem dextrum (iuxta quem tripus est serpente pythica circumdatus) proponit, intellegimus deum celeriter domo Admeti decessurum esse. Celeriter enim eum abire ob eam rem oportet, quod Alcestit in sequenti scena jam animum agit et ei ut deo puro atque integro non commemorari licet in domo, in qua mortuus aliquis versatur. Quam scenam inspicienti Euripidis versus facile in mentem venient: v. 22:

ἐγὼ δὲ, μὴ μίσημά μ' ἐν δόμοις κίχῃ,
λείπω μελάθρων τῶνδε φιλάτιν στέγην.

Nec tamen dixerim artificem hoc a poeta ipso expressisse. quum in aliis nec iis minimis rebus, quae in anaglypho nostro repraesentatur scena a fabula Euripidis discrepet. Hoc imprimis in eo elucet, quod ab Euripide Admetum afuisse et redeuntem de Alcestitis sorte certiore factum esse non commemoratur, quum artifici ea fabulae forma obversata videatur, ex qua diem, quo Alcestin mori destinatum erat, nesciebant, ita ut malum eis inopinantibus ingruerit et Admetus a venatione rediens tristi nuntio oppressus sit. Quod, qui post Euripidem hanc fabulam tractaverunt, poetas novasse puto, ad quos, quae in anaglypho repraesentantur, scenae redire videntur.

Restat, ut explicetur senex, qui inter Apollinem et Admetum positus vultu perterrito ad Alcestin morientem prospicit. Dextra manu non serpentem tenet, ut Roulezius errore inductus putavit, sed baculum, quam ob rem ne

id quidem recte Roulezius dicit senem esse Aesculapium, qui quid hoc loco sibi velit. non possum divinare. Non vero magis cum Peterseno et aliis Pherem eum appellaverim. Primum enim Admeti parentes in fabula secundas solum partes agunt (apud Euripidem quoque Alcestit moriente non adsunt), deinde ea figura. quae in ceteris sarcophagis huic respondet. vix Pheres potest esse. Rectum igitur Zoegam censeo vidisse, quam paetogogum figuram esse dicat, qui nutriceis figurae respondens optime locum suum tenere videtur.

Prorsus aliam laevae anaglyphi partis explicationem Petersenus protulit l. c. p. 116. Qui rem non in Admeti domo, sed in oraculo Apollinis agi putat, ad quem Admetus ipse profectus sit, ut deum consulat. Cuius comitem et ministrum eum esse, qui hasta exstructus et canem fune tenens per portam intraverit dominum opperiens. — Quam sententiam ei subiecisse videtur ea, quam ipse protulit plurium picturarum Pompejanarum explicatio, quas ad mythum nostrum revocandas esse pro certo iudicavit³⁷). Eo minus vero ex picturis illis Pompejanis ad ectypon nostrum explicandum aliquid certi effici potest, quod num illae recte a Peterseno explicatae sint summo jure videtur dubitari posse. Accedit, quod neque Euripides neque scriptores, qui fabulam tradiderunt, oraculi ab Apolline Admeto editi mentionem faciunt. Nec puto illum habuisse, cur oraculum consuleret; etenim, quum serpentes in cubiculo repertae essent, Admeto, ut, quaenam esset de portento Apollinis sententia, comperiret, Delphos ire non opus erat, quippe, quum eo ipso tempore deus ille fatidicus in domo Admeti adesset — ita enim a scriptoribus res

³⁷) Duas easque ceteris integrioribus Petersenus edidit Arch. Zeit. 1863 t. CLXXX. 1. 2. Et has et reliquas descripsit Helbigius, Pomp. Wandg. 1157—1161, qui Peterseni explicationi assentitur. Accedit alia pictura a Sogliano, Le pitture murale Campane, Napoli 1869 N. 506 descripta.

traditur, — ut statim Parcis Admeti vitae, ut parcerent, persuadere posset. Verum faciamus artificem in eo ab tralaticia fabulae forma declinasse, ut Apollinem die nuptiarum in Admeti domo non adfuisse finxerit. Quid? Cur tandem Admetus tam tristem in anaglypho prae se fert vultum, si Apollo, id quod Petersenus statuit, ei respondit praematuram mortem, quae serpentibus indicaretur, ab eo posse depelli, si quilibet alius pro eo morti se oblaturus esset. Neque enim iam tum praesagire poterat neminem nisi uxorem id facere paratam fore. Nec non apto et perspicuo scenarum contextui sententia a Peterseno prolata repugnat. Etenim si prima scena repraesentaretur Admetus oraculum consulens, non statim posset in altera scena repraesentari Alcestis moriens, ita ut omnia, quae intersunt, actionis momenta, quae ad intelligendum scenarum contextum necessaria sunt, non exprimerentur. Contra in ea, quam supra attulimus, explicatione rerum, quae repraesentantur, series apta atque perspicua est. Prima scena: Admetus a venatione rediens mortem uxoris instare comperit. Altera scena: Ad lectum morientis accedit, ut postremum cum ea colloquatur. Tertia: Alcestis mortua ab Hercule ab inferis reducitur.

Nullam explicanti difficultatem tertia scena affert. Admetus manifesto afflictus Herculi obviam it, qui dextram Admeto porrigit, altera pellem leoninum et clavam tenet. Inter hos sub manibus eorum conserratis triceps Cerberus e specu prospicit, qua re indicari videtur Herculem modo limen Orci transisse. Dextra ab Hercule Alcestis advenit corpore omnino velato, quae sinistra modo velamen a facie detrahit. Pluto, qui dextra ectypi parte in throno sedet, gestu suo indicat se ei veniam dedisse ad superos redire. Ad dextrum eius humerum Proserpina annititur, quam esse *χθονία* toga supra caput tractum designat. Cuius precibus Pluto ad Alcestin dimittendam motus videtur. Trium Parcarum figuras, quae in recessu

positae sunt, et quarum una vel fusum vel librum fatalem manu tenet, non video, eum Petersenus ad mediam scenam pertinere dicat, cum ad hanc scenam, in qua positae sunt, bene quadrent.

In hac scena ad Euripidis tragoediam videtur referendum esse, quod Admetus nescire videtur, quoniam ea, quae Herculem sequitur, femina obvelata sit. Verumtamen in eo ars plastica a poeta declinat, quod in ea Alcestis non certamine cum Orco inito, sed venia Plutonis et Proserpinae recuperatur. Itaque in hac quoque re artifex videtur poetam aliquem, qui post Euripidem fuit, secutus esse, qui in illo quidem Euripidem expresserat, finem autem fabulae fortasse Platonem secutus alium dederat.

In sacrophago St. Aignano (B) item tres scenae discernendae sunt, quae quamquam in pluribus ab eis, de quibus diximus, dissentiunt, tamen in personis eorumque habitu ita cum eis, quae in A reperiuntur, congruunt, ut ad eundem B atque A redire fontem certum sit. Ab utraque parte ectypi singuli positi sunt genii, qui in facem versum innituntur. Deinde a sinistra parte porta quidem, quae in A est, non est expressa, sed hic quoque primum locum Admetus tenet. Chlamyde vestitus est super humerum sinistrum rejecta; sinistra hastam tenet, dextra gladium; ut in A minister ei nuntium tristem affert. Apparet igitur ne hic quidem Admetum scivisse mortem Alcestidis tam brevi tempore instare, quum eum artifex a venatione vel itinere domum redeuntem faciat. Quod vero porta in hoc ectypo non cernitur, ea re artifex indicare videtur Admetum iam domum intrasse, quam in A intraturus est. Quae in dextram partem sequuntur, personae in hoc anaglypho omnes ad alteram scenam referendae sunt. Alcestis, quae in medio anaglypho in lecto posita est, ut ex vultu et corporis habitu apparet, iam animam efflavit. Juxta lectum a sinistra parte nutrix et paedagogus genibus nituntur atque hic quidem dex-

tram illa sinistram Alcestidis manum tenet³⁸). Hoc loco certum est non de Phere esse cogitandum, quum iam positione indicatum sit, eum aliquo modo cum nutricis figura coniunctum esse. Ante lectum ut in A liberi adsunt. — Ad hanc scenam sinistra parte Admetus ut in prima scena vestitus accedit. Qui cum uxorem mortuam conspiciat perterritus dextram tollit. Duo eum sequuntur comites. quorum alterum Roulezius eum esse ministrum putat, qui in domus introitu Admetum appellavit. Alter eo loco positus, ubi in A Apollo stat, homo est pileatus, exomi et petaso exstructus, qui dextra pedum, altera rem aliquam dubiam tenet³⁹). Qui utrum comes Admeti in venando an gregum custos sit, Roulezius dubitat.

Tertia scena multo minorem figurarum numerum exhibet, quam ea, quae in sacrophago vaticano respondet. Nam et Pluto et Proserpina et tres parcae desunt. Ceterae personae eis, quae in sacrophago vaticano sunt, respondere videntur. Hic quoque Admetus Herculi obviam it, sed paullo concitatore motu, dextramque cum eo iungit. Inter hos a laevo Admeti latere in dextrum prospiciens femina stat longo vestitu, quae manum mento apponit. Quam Roulezius putat esse ministram familiarem, quae una cum domino ad hospitem excipiendum exierit. Eo loco, ubi in A Alcestin agnovimus, quae in hoc anaglypho est figura, difficilis videtur explicatu. Quum enim brevi solum tunica induta sit et ne id quidem pro certo diiudicari possit, utrum vir an femina habenda sit, vix licet eam Alcestin ab inferis redeuntem habere. Si id, quod manu tenet, liber fatalis est, unam ex Parcis

³⁸) Respondent versus Euripidis 193 sqq.:

ἡ δὲ δεξιάν
 προὔτειν' ἐνάστω, κοῦτις ἤν' οὕτω κακός,
 ὅν' οὐ προσέειπε καὶ προσεγγίδη πάλιν.

³⁹) Roulezius l. c. fructum esse opinatur in usum mortuae destinatum.

eam dixeris esse, quam artifex, qui uberiorem scenam expresserit, solam locum tenere voluerit. Praeterea pone Herculem caput figurae conspicitur. quae omnibus certis notis deficientibus nullam explicandi ansam praebet.

Requiritur igitur in hac scena figura Alcestidis, quam artifex, licet scenam contraxerit, vix potuit omittere, quum ad eam imprimis tertia scena pertineat. Quam ob rem figurarum, quae exstant, aliquam Alcestin appellandam esse puto. De ea vero figura, quam cum Roulezio parcam habuimus, quominus cogitemus, vestitus prohibet nec praeterea, quid Alcestis manu habere possit, intellegitur; neque magis de ea potest cogitari, cuius non nisi caput videtur, quum Alcestin ita in recessu positam esse ab artifice credere non liceat. Restat ea, quae a laevo Admeti latere stat, quam ne Alcestin appellemus obstare videtur, et quod caput non est velatum et quod non tam pone Herculem, quam ei ex adverso ab Admeti latere locum tenet. Attamen Alcestin eam esse persuasum habeo. Quod ut intellegatur, monendum est in prioribus huius anaglyphi scenis paullo posterius actionis momentum praesentari, quam in eis, quae in anaglypho A respondent. In B enim Admetus iam domum intravit, quum in A modo intret, hic Alcestis iam mortua est, illic moribunda iacet. Quae cum ita sint, verisimile videtur etiam in tertia scena tempus paullo proVectum esse. Itaque cum Admeti habitus vividior sit et alacrior, quam in A, cum Alcestis a latere eius stet non iam velata, puto Admetum eam iam uxorem agnovisse velo ab illa iam retracto ab ore, quod in A retractura erat, et manum eum jungere cum Hercule non, ut eum salutet, sed ut gratias ei agat. Denique artificem puto extremam Euripidis fabulae scenam expressisse, in qua Admetus, postquam uxorem recognovit Herculi gratias agit, frustra vero ab eo impetrat, ut diutius in domo sua commoretur. Atque ex hac scena gestus quoque explicandus est, quem

Alcestis facit. Dextram enim quum mento apponat, indicare videtur, quod Euripidis versibus continetur 1147 sqq.

ΑΔ. Τί γάρ ποθ' ἴδ' ἄναδος ἔστημεν γυνή;

ΗΡ. ὄπω θεῖμς σοι τῆσδε προσφωνημάτων

κλίειν, πρὶν ἂν θεοῖσι τοῖσι νεωτέροις

ἀφαγνίσθαι καὶ τρίτον μὲν φάος,

ἀλλ' εἴσαγ' εἴσω τῆσδε καὶ δίκαιος ὢν

τὸ λοιπὸν, Ἄδμητ', εἰσέβει περὶ ξένους,

καὶ χαῖρ'.

Media scena eodem fere modo atque in B in anaglyphis recurrit, quae notis C et D denotavimus. Sed in his paedagogo, qui rectus stat, quum in B genibus innitatur, Alcestis, ut primus Zoega animadvertit, tabellas tradit, quae extrema eius mandata ad maritum absentem continent⁴⁰). Admetus enim ipse huic scenae non interest, quum omnes, quae a laeva parte paedagogi sunt personae, ad primam scenam referendae sint.

Dextra sacrophagi Albani pars mutila est. Duas enim solum exhibet personas, Admetum, qui dextrorsum se vertit, et feminam, cuius non nisi parva pars genuina est. Sed vix dubitari potest, quin Hercules quoque dextra parte fuerit, ita ut scena eadem fere sit atque in anaglypho St. Aignano⁴¹). Plenior est Pighii adumbratio, quae praeter Herculem clava et pelle leonino exstructum iuvenem imberbem chlamyde vestitum continet, qui laeva manu hastam tenet. Utrum vero hae figurae genuinae, an postea suppletae sint diiudicari non potest. Quod ad iuvenem attinet, eum e coniectura additum esse verisimilius videtur.

Transeamus ad sinistram horum anaglyphorum partem, quae primo obtutu aliam scenam atque A et B reprae-

⁴⁰) Apud Pighium figura Alcestidis errore viri speciem induit.

⁴¹) Perverse Ribbeckius trag. rom. p. 552 hanc scenam explicat: „Alcestis in den Hades geführt von einem Jüngling, der kein anderer als Mercurius sein kann.“

sentare videtur. Sinistra enim a parte exeunti occurrunt primae duae feminae chitone et pallio amictae, quarum vivo gestu motuque dolor exprimi videtur. Sequitur dextrorsum vir imberbis chitone et *ἱματίῳ* indutus, qui dextrorsum prospicit et laeva manu hastam tenet. A latere huius aspicienti dorsum praebens conspicitur iuvenis et ipse imberbis, clamyde amictus de adverso corpore defluente; de laevo eius latere gladius dependet, super humero laevo hastae extrema pars exstat. Gladio et toto corporis habitu eum Admetum esse intellegitur. Qui subito terrore vel alia re improvisa motus dextram tollit, dum cum homine barbato colloquitur, qui dextra parte ad eum accedit, baculo innitens, et cum iuvene imberbi⁴²), qui inter eos stat, qui sinistra manu sublata se rem summi momenti Admeto esse dicturum indicare videtur. Praeterea ad hanc scenam trahenda est figura sinistrorsum versa, cuius nihil nisi caput, humerus dexter, pars hastae superior conspiciuntur. Caput in pectus demissum dolore eum esse affectum significat.

De hac scena prorsus diversae sunt prolatae sententiae. Petersenus enim l. c. p. 117 repraesentari putat Admetum oraculo reversum Apollinis consultum suis enarrantem. Contra alii putant Admetum patri exprobrare, quod pro se mori noluerit, alii eum Pherarum incolis renuntiare, ut uxoris funus summa cum pompa celebrent. Sed nec hos nec illos rectum opinor vidisse. Nam et in eo videntur errare, quod ea, quae repraesentari dicunt, non bene quadrant ad ea, quae a poetis et scriptoribus traduntur et quod ad scenam, quae in anaglyphis, de quibus supra diximus, respondent, non respiciunt. Quae quum in singulis cum anaglyphis C et D consentiant, ut a communi ea defluxisse fonte veri simile sit, iure

⁴²) Cuius loco, quae apud Pighium videtur femina, quum in caeteris adumbratio Pighiana cum anaglypho Albano consentiat, errore videtur huc illata esse.

mibi videor statuere etiam hac scena nihil aliud repraesentari, quam Admetum a venatione redeuntem et tristi de uxoris morte nuntio oppressum. Cui qui ex adverso stat senex baculo innixus paedagogus videtur esse, qui et ipse Admeto adveniendi obviam ivit. Itaque scena in hoc anaglypho maiore quidem figurarum numero, feminis flentibus et doryphoris, qui domum regiam custodiunt, exornata est, sed prorsus idem atque ea, quae in ceteris anaglyphis respondet, repraesentat.

Alcestis moriens et Admeto valedicens crebro occurrit in arcis Etruscis, quas primus Grauerus Ann. d. J. 1842 ad mythum nostrum rettulit. Dubitavit nuper Dutschkius Ant. Bildw. II. 165 an recte illa anaglypha adhuc explicata sint, sed iniuria, ut videtur. Confirmatur enim usitata explicatio imprimis eo anaglypho, quod ab Inghirami Mon. etr. I. t. LXXIV editum est. Ibi enim in medio anaglypho in lecto stragulo tecto et tomentis et duobus pulvinis adornato Alcestis dextrorsum cubat brachio sinistro innixa. Ea vestita est chitone longo sub pectore cincto, cui pallium circumiectum est, quod os quoque obtegens de brachio sinistro dependet. Dextram Admeto sinistra parte adeunti porrigit, qui dextra vestem longam inferiorem partem capitis obtegentem sub mento continet et sinistra eam paullulum a pedibus detrahit; sinistrum pedem ponit in scamno prae lecto posito, in quo puer chitone indutus dextrorsum sedet, qui sinistram manum in sinu ponit, dextra lacrimas videtur abstergere. Dextra parte ad lectum puella accedit tunica manicata et pallio longo amicta, quae ad matrem morientem suspicit dextra lectum attingens. Sinistra manu anulum tenet, de quo complures res dependent. Quae res, quae in monumentis, quae huc pertinent, saepius recurrunt, quomodo explicandae sint dubitatur. Sed cum puella ea sit figura, quae anulum tenet, verisimillimum videtur eam esse crepundiam. Dextra lecti parte ad morientem advolat tunica brevi succincta

magnis alis praedita virgo, cui similes fatales deae saepe numero in Etruscorum monumentis occurrentes homines in omnibus vitae casibus comitantur. Haec facem, quam manibus tenet, ad terram vertit. Praeterea utraque anaglyphi parte scenam concludunt binae feminae longa tunica et pallio vestitae caput quoque, ut mos est lugentium, obtegente. Sinistra manu pallium continent dextram dolore commotae tollunt. Quae ministrae videntur esse exitum instantem dominae deplorantes.

Quod anaglyphum quum et in aliis rebus et imprimis in eo ad anaglypha, de quibus egimus, accedat, quod liberi Alcestidis adsunt atque ei eodem aetatis discrimine atque in illis, non dubitandum puto, quin recte anaglypha illa etrusca ad fabulam nostram trahantur. — Proxime ad id, quod descripsimus, accedit id, quod l. c. tab LXXV editum est, in eo vero discrepat, quod scamno omisso liberi secundum *ἰσομεγαλισμόν*, qui dicitur, pari cum aliis personis magnitudine efficti sunt. In hoc puella a sinistra parte matri arculam affert, id quod saepius in anaglyphis etruscis, quae morientes repraesentant, usu venit; puer sinistra crepundiam tenet, dextram in humero matris ponit.

Cetera anaglypha etrusca, quae huc pertinent, praetermitto, quum ab eis, quae attulimus, haud multum distent⁴³⁾.

Omnia, de quibus adhuc diximus, monumenta in eo conveniunt, quod apud Alcestem morientem, ut in Euripidis fabula, liberi adsunt. Qui in monumento nuper a Franckio Ann. d. J. LI. t. E 1 edito, quod apud Antium repertum ad tertium aevi nostri saeculum pertinet, desunt. Quod monumentum duabus constat partibus. Quarum inferior quadrata est basis, cuius duo latera longiora sunt. Duobus ornata est anaglyphis, quorum alterum, quae duas exhibet figuras unum ex lateribus longioribus, alterum pluribus

⁴³⁾ v. Inghirami Mon. etr. I. 19. 76 Dutschke, Ant. B I, 8. 91. 99. II, 320. 381. IV, 602.

figuris adornatum, quod restat spatium complectitur. In hoc femina conspicitur dextrorsum in lecto altis pedibus praedito cubans. Sinistro brachio nititur, caput in pulvinis, dextrum in sinu ponit; amicta est non nisi tunica manicata. Oculi utrum aperti an clausi sint, in opere rudi arte composito diiudicari non potest. Prae lecto dextrorsum versa faciem altero tantum latere praebens femina genibus nixa et illam, quae in lecto posita est, amplexura. Quae et ipsa tunica manicata, praeterea pallio vestita est de humero dependente. Pone lectum quinque sunt feminae prorsus nudaae, quarum partes corporum inferiores lecto obteguntur. Manus partim prae pectore connectunt, partim crines eis vellunt. Duo latera angustiora lecti fulcra et singulas utrumque feminas continent, quae inferiorem partem corporum vestitam habent. Dextra femina manum sinistram in fulcro ponit, altera brachia prae pectore connectit. Alcestin vel morientem vel mortuam eam esse feminam appellandam, quae a ceteris deploratur, ea scena comprobatur, qua alterum latus longius occupatur. Sinistra enim Hercules barbatus adspicienti adversus dextram in clavo nititur, sinistram eius femina comprehendit manu sinistra, dextram gestu supplicis ad caput herois attollit. Amicta est tunica manicata et pallio longo, quod de tergo defluit. Quam feminam hoc modo positam non posse Alcestin appellari Franckius sibi persuasit. Quamobrem putat in eo exemplari, de quo hoc anaglyphum expressum sit, Admetum loco feminae fuisse Herculi propter uxorem liberatam gratias agentem. Non vero hac artificiosa explicatione opus esse alio anaglypho comparato comprobatur, quod in museo degli Uffizzi Florentiae asservatur. (Descripserunt Dütschkii Ant. Bildw. III, 64)⁴⁴⁾. Cuius in dextro latere et ipse Her-

⁴⁴⁾ Editum est apud Gori, Inscription. ant. III, t. XXV Galleria di Firenze Ser. IV t. 152 sq. In laevo latere angustiore sacrophiagi Alcestis a Mercurio in Tartarum deducitur.

cules conspicitur pelle leonino, quod de dextro humero dependet, insignis. „Er wendet sich, die Keule in der Rechten, zu der links aus der Hadeshöhle tretenden Alcestis, welche mit Schuhen, langem Chiton und einem über den Kopf gezogenen Obergewande bekleidet ist, indem er nach dem Saume desselben greift, wie um die Frau zu entschleiern“. Quae scena tam prope ad eam, de qua Franckius egit, accedit, ut vix possit dubitari, quin illa prorsus eodem modo sit explicanda. Femina igitur vera Alcestis est, quae vultum timidum et supplicem praefereens manum protendit Herculem prohibitura, ne vestem de facie sua detrahat.

Eadem scena alio modo ob oculos posita mihi videtur esse in alio anaglypho, quod Florentiae in palatio Rinuccini exstat et quod Dütschkii l. c. adumbrationis, quam codex Pighianus exhibet, exemplar esse demonstravit⁴⁵⁾. Anaglyphum in duas scenas distribuitur pilo angulari seiunctas. Sinistra Hercules adspicienti adversus compacto corpore atque robusto et pelle leonino, qui de brachio sinistro eius in tergo posito dependet, insignis, adstat ad ea, quae dextra parte accidunt, oculos vertens. A sinistro eius latere Alcestis longo caput quoque obtegente pallio vestita, quod sub mento ab ea continetur, procedit. Sequitur dextrorsum vertenti pila, in quam dextro eius latere adstans iuvenis procer capillo brevi et cirrato sinistro cubito innititur. Adspicienti tergum vertit et chlamyde prae pectore coniuncta et super brachium dextrum iacta vestitus est. Caput dextrorsum vertit, dextra gestum facit aliquem ex personis, qui dextra sunt, inclamantis. Sequitur Admetus et ipse chlamyde amictus, qui caput sinistrorsum avertens sinistram Alcestidi, quae dextra ad eum accedit tunica manicata et pallio capitis inferiorem partem obtegente induta, invitus, ut videtur, porrigit.

⁴⁵⁾ v. Arch. Zeit. 1875 t. 9 cf. Ant. B. II, 314.

Inter hos adolescens conspicitur capillo crispo taenia cincto, amictus pallio, qui abiturus facem, quam sinistra tenet, ad solum vertit. Admeto et Alcestide tergum praebens ad figuram, quae in pila nititur, respicit. Alcestin virgo, quae pone eam stat, chitone cincta, cui manicae desunt, induta utraque manu Admeto admovet. Praeterea dextra anaglyphi parte figura exstat, cuius non nisi parvum fragmentum genuinum est; caetera et alia praeterea figura postea addita sunt. — Quae scena ita solet explicari⁴⁶⁾, ut in ea Admeti nuptiae repraesententur malo omine, quod eo indicari volunt, quod Admetus loco dextrae sinistram manum Alcestidi porrigit, turbatae. Itaque eum, qui inter novam nuptam et novum maritum cum face adstat, Hymenaeum esse dicunt, qui de nuptiis decessurus matrimonium mox diremtum iri eo indicet, quod facem ad terram vertat. Cui Mercurium i. e. iuvenem procerum, qui sinistra adstat, manu significare, ut revertatur et facem erigat, quum Alcestis Herculis auxilio servata ab inferis redeat. Quae si ita essent, scena repraesentata nec de Euripide dependeret, et aliquomodo contraria esset eis, de quibus supra diximus, monumentis romanis. Sed pluribus de causis haec explicatio videtur reiicienda esse. Primum enim mirum esset, si res, quae tanto spatio temporis diversae sunt, ita essent coniunctae, ut nuptiarum celebrationem continuo sequeretur reductionis scena; deinde in figura Mercurii offendo, qui quamquam nuptiae ad eum omnino non pertinent ita positus est, ut ad alteram scenam sit trahendus; imprimis autem Admeti habitus is est, qui novo marito minime aptus sit; neque denique vix credibile videtur artificem, quum Admetum novae nuptae sinistram dantem facit, eo malum omen indicare velle. Multo enim magis in propinquo fuisset, si tale quid in anaglypho effingere voluisset, serpentes illas repraesentare, quae a Diana in novorum nuptorum

⁴⁶⁾ v. Dütchkium l. c. Diltheyum Ann. d. J. 1869 p. 24.

cubiculum missae erant. Anaglyphum nostrum adspicientem facile puto intellegere Admetum, quod femina obvelata admovetur, moleste ferre et invitum atque coactum manum ei porrigere. Qua de causa multo simplicius ita anaglyphum explicabis, ut in eo inveniundo artificii ultima Euripidis tragoediae scena ob oculos obversata fuerit. Quam si respicimus facile, quid Admeti habitus sibi velit, intellegitur. Hoc igitur modo anaglyphum puto interpretandum esse: Alcestis a sinistra parte ab Hercule Mercurio comitante ex inferorum potestate liberata Admeto, qui feminam eam esse peregrinam putat, adducitur. Qui non nisi Hercule appetente atque deposcente a se impetrat, ut manum eius prehensens in domum eam introducat. Bene igitur et apte artifex Admetum effinxit faciem avertentem et manum sinistram praebentem, ut postulatione Herculis invitum eum obsequi indicaret. Juvenis igitur face versa praeditus non Hymenaeus est, sed *Θάνατος*, qui a Mercurio iussus de scena decedit, quia potentia eius ab Hercule fracta est. Quod vero artifex *Θάνατον* ut iuvenem effinxit, neque ut Euripides senem morosum eo facilius intellegitur, quod hoc anaglyphum ad exemplum revocandum est optimo artis graecae tempore ortum (cf. Dütchkium l. c.)

Nec deest aliud monumentum ad fabulam nostram pertinens, in quo simili modo *Θάνατος* effectus occurrit. In eis enim, quae loco, ubi Dianae templum Ephesiae fuit, a Britannis effossa sunt monumentis, columnae cylindrus est anaglypho ornatus, quod ad fabulam nostram primus C. Robertus traxit; quem in eo describendo sequor⁴⁷⁾. Servatae sunt alia magis alia plenae quattuor figurae et utraque parte anaglyphi singularum figurarum fragmenta. Medium Mercurius occupat dextro brachio in chlamydem

⁴⁷⁾ Editum est ab E. Curtio, Arch. Zeit. 1873 t. 65. 66. C. Roberto l. c. p. 37.

obvoluto, petasum super humero fert, caduceum tenet manu dextra demissa. Sinistrorsum incedit capite sublato sursum suspiciens. Sinistra juvenis adstat, quem *Θάνατον* esse Robertus cognovit. „Mächtige Adlersflügel ragen über die Schultern empor und umrahmen die jugendlich schlanke mehr zierliche als kräftige Gestalt, die in Vorderansicht mit rechtem Standbein ruhig dasteht. Das Gesicht hat einen weichen schwermütigen Ausdruck, der Mund ist von ungemeiner Weichheit.“ De sinistro latere gladius magnus dependet duplici super dextrum humerum eunti loro affixus⁴⁶⁾. Dextra eius immota dependet, sinistrum brachium sublatum est, quo femina, quam dextra ab eo adstantem adspicit, innuere videtur. Quae femina Alcestis habenda est. Chitone chiridoto et pallio amicta, cuius utramque laciniam super humero affigit, abituram se fert et *Θάνατον* nutui obtemperantem cum Mercurio eam comitante sinistrorsum processuram. A dextro Mercurii latere femina sequitur et tunica manicata cum patagio et longo gravique pallio super utroque humero affixo amicta, quae manu rem tenet longam et elasticam adhuc non explicatam. Quam feminam uxorem esse eius, quae iuxta eam sedet, figurae, cuius non nisi inferior pars servata est, nemo non videt. Pedes soleis multis habenis ornatis praediti sunt, super femora pallium iactum est. Virum esse figuram et ex feminibus musculosis et eo intellegitur, quod chitone non induta est. Qui coniuges Pluto et Proserpina sunt, a quibus ut in anaglypho vaticano Alcestis dimittitur. Sinistra anaglyhi parte parva unius figurae fragmenta restant pars lateris sinistri, humerus sinister, brachium in latus obnixum, quae ad Herculem pertinere, qui hoc loco steterit, summo iure Robertus contendit, ita, ut similem atque in anaglypho villae Rinuccini locum obtineat.

⁴⁶⁾ Etiam apud Euripidem *Θάνατος* gladio exstructus est. cf. v. 76.

Scena igitur, quae anaglypho repraesentatur, haec est: Pluto Proserpinae precibus motus Alcestidi concessit, ut Herculem ad superos praeceuntem sequatur. Dum ea ad abeundum vestitum praeparat, ut *Θάνατον*, cuius non iam in potestate est, praeteriens a Mercurio *ψυχοπόμπη* comitata ad superos redeat, Hercules Mercurium et Alcestin exspectans animo quieto immotus adstat, victorem se decessurum esse non ignorans.

Jam, quod nobis proposuimus, absolutum est. Restant, pauca monumenta, quae num ad fabulam nostram trahenda sint, adeo est incertum, ut de eis nihil novi mihi videar proferre posse. (v. Petersenum l. c.)

Vita.

Carolus Disselius natus sum Kal. Mart. anni h. s. LVII Corbaei patre Josia, matre Augusta e gente Schnedleriana, quibus mihi superstitibus magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus frequentavi gymnasium Corbacense, unde maturitatis testimonio instructus Lipsias me contuli, ut studiis philologicis operam darem. Ibi docuerunt me viri illustrissimi: Curtius, Fritsche, Hoerschelmann, Ritschl, Overbeck, Zarneke. Inde adii almam matrem Georgiam Augustam, ubi studia mea continuarem. Atque illic scholas frequentavi virorum doctissimorum: Baumann, Dilthey, Fick, de Leutsch, Lotze, Guil. Müller, Nissen, Peipers, Sauppe, Steindorff, Wachsmuth. Praeterea sodalis fui ordinarius et seminarii regii philologici et paedagogici. Examine pro facultate docendi autumno anni LXXIX superato primum gymnasii Gottingensis, deinde Brandenburgensis fui magister; nunc Hamburgi pari munere fungor.
